


05

A

568





Disputatio AntiGesauvuitica
secunda

DE VERBO DEI SCRIPTO.

Pro refutatione mendosi speculi miseriarum
Contra Mulmannum à Iohanne Mulhusino Apo-
stata, & Professore Moguntino, efficti:

IN QVA

*Questiones aliquot Theologicae perquam
utiles solide explicantur.*

PRAESIDE

M. IOHANNES MUL-
manno Lips: ad D. Nicol.
Archidiacono.

Respondente

M. GABRIELE LVTHERO
Grimmensi.

Iohan. 10. v 35. Non potest solvi Scriptura.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus Clemen-
tis Bergeri Bibliopol. Anno 1607.

*Nobilitate Stemmatis, Eloquentiâ, Autho-
ritate, omniq̄ virtutum genere
præclaro Viro,*

**Dn. IOHANNI à PO-
NICKA in Pomsen & Neuenhoff/Praefecto
& Consiliario Electoris Saxonici Postulato, Do-
mino ac Promotori meo omni obser-
vantia cultu prosequendo**

*Favoris demerendi gratiâ, dedico & offero
Disputationem hanc secundam, ego*

M. Gabriel Luther.

Disputatio secunda AntiGesauvitica.

προβολὴ mendacii secundi.

THE S I S I.



Ergit Iohannes Mulbusinus Mulmannum traduce-
re hisce verbis.

II.

Deinde mentitur Mulmannus. Secun-
dum Moguntinos sect. 2. thesi 26. Scripturam non esse nor-
mam credendorum. Nusquam hoc Moguntini; sed contra-
rium, docent cum Bellarmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 1. &
2. aliisque Catholicis. Scripturam igitur SOLAM privato
hæretici cuiusque spiritu, sine Ecclesiæ Catholicæ seu uni-
versalis, publicâ & receptâ interpretatione intellectam,
Normam credendorum negant duntaxat. Et rectè, alioquin
tot sectas, habebimus, quot novos interpretes. Arium,
Novatum, Zvinglium, Lutherum, Calvinum, Schveng-
feldium, Flacium & similes, quorum singuli, singulos illos,
& omnes, pro hæreticis habent meritissimè; & tamen o-
mnes Evangelicos se iactitant, & suis erroribus Scriptu-
ram unicam normam prætendunt.

Αντιβολὴ.

III.

Responsio ad mendacium secundum requirit decisionem qua-
estionum. 1. An Scriptura Gesauvitis ex aliqua parte sit Norma
credendorum 2. An privatus cuiusq; hæretici spiritus, & Ecclesiæ
Catholicæ publicæ & receptæ, interpretatio, sint ἀντιφατικῶς opposi-
ta? 3. Quisnam sit privatus iste spiritus & qualis ipsi opponatur.
interpretatio? 4. An sublata Ecclesiæ Romanæ interpretatione, ne-
cesse sit sectas multiplicari ad numerum quarumlibet interpretati-
onum?

QVAESTIO. I.

An Scriptura Gesauv vitis ex aliqua saltem parte sit Norma credendorum?

I V.

Affirmat meus Nasutus ille Naso, Scripturam esse Pontificis Normam credendorum, sed non solam. Quod sit Norma, manifestum est, quod non sola sit Norma, id probatu adeo difficile est, ut iisdem argumentis quibus hoc affirmant, illud negare cogantur. Si enim non est sola norma, nec normam esse necesse est.

V.

Testantur hoc probationes Mulhusini, quarum ea est facies, ut scripturam norma rationem nullam habere patiantur. Atque ut videas mihi plus candoris inesse quam Adversario, nil nisi mendacia susurranti, adscribam eius verba.

V I.

Primam probationem comprehendit Mulhusinus sect. 2. thes. 27. his verbis: sed hi (qui Verbum Dei unicam, certam, atque infallibilem normam indubitanter agnoscunt) numquid Deum rerum omnium opificem credituri fuissent, si Mosis aetatem, qui primus scripsit, in principio creavit Deus coelum & terram &c. antecessissent? Minimè. Nullam enim suae fidei Normam, scriptum scilicet verbum (sine quo credere nolunt) habuissent. proslus inter paganos & Ethnicos numerandi.

V I I.

Age speculifaber, examinemus tuum argumentum, ut quam miserum sit, etiam lippi videant. Quero autem exte: Estne par eademq; ratio aetatum ante & post verbum scriptum? si negas, male argumentatus es ab una aetate ad alteram, quarum est utrobique dispar aut diversa ratio.

S. Scriptura est Gesauv vitis nulla Norma fidei.

Ratio. I.

Ex dissimilibus sequuntur dissimilia.

sin

I III.

Sin affirmas, constringo te tali Syllogismo:

*Qualis est norma fidei ante scriptionem, talis etiam est post: Nam
Keseita argumentatur ab una etate ad alteram.*

Keseitæ nō
habent
Normam
nisi Ver-
bum pro-
nuncia-
tum.

*Atqui solum verbum non scriptum est norma ante scriptio-
nem. Ergo etiam post, & per consequens, Moguntini argumen-
tando negant, scripturam aliqua ex parte saltem esse Normam
Fidei.*

IX.

*Sed inverto, ego rationem, insane Sophista, & dentibus tuis
frangendam offero hanc nucem: Quod ante scriptionem Verbum
non scriptum est, id post scriptionem est verbum scriptum: Sed an-
te scriptionem Verbum non scriptum est sola ac unica Norma fidei.
Ergo etiam post scriptionem Verbum scriptum est sola ac unica Nor-
ma fidei. Quid desideras in hoc syllogismo, estne in Forma?*

ΑΥΤΕΟΑ-
ΥΟΥ
probatio-
nis.

X.

*Major facile probatur manifestis dictis. Exod. 17. v. 14. scri-
be hoc. ibid. 24. v. 4. scripsit Moses universos sermones Domini c. 34.
v. 27. scribe tibi verba haec. 2. Cor. 1. v. 13. Non alia scribimus vobis
quam qua legitis & cognoscitis. Philip. 3. v. 1. τὰ αὐτὰ: eadem vo-
bis scribere, me quidem non piget, vobis autem tutum est: ibid.
c. 4. v. 9. haec cogitate, qua & didicistis & accepistis, & audistis &
vidistis in me. 1. Ioh. 1. v. 3. quod vidimus & audivimus, hoc nun-
ciamus vobis & haec scribimus vobis.*

XI.

*Id ipsum sequitur ex secunda probatione tua, qua talis est:
potestne dubitari, quin illius fidei, quam Apostoli prae-
cabant, initio, Regula aliqua vel Norma extiterit, antequam
Evangeliorum codices conscriberentur? Quomodo ergo
solum scriptum Verbum, quo nunc utuntur Ecclesiae, Nor-
ma & Regula fidei dicendum erit?*

11. Ratio.

XII.

Ideò dicendum erit, quia non fuit aliud initiò predicatum, nec aliud postea conscriptum, ut ex modo allatis testimoniis apparet, quibus addo illud Gal. 1. v. 8 Licet nos, aut angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema esto. Sicut prædiximus & nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit.

XIII.

Hic τὸ πᾶσι ὄnon damnat Paulus ea quæ antea prædicaverat, sed quæ postea. Verbo ab Apostolis prædicato & literis consignato additura erat. Quod si Angelus de cælo, in iis quæ sunt τῶν ἀγγέλων, hæc est, absq; scriptura (tunc enim epistolam scribebat Paulus) non est audiendus: multò minus Pontifex Romanus de solio terreno ne dicam infernali audiendus est.

XIV.

III.

Tertia probatio Mulhasini est: Multa certè hominum millia, post absolutos, etiam universos novi Testamenti libros, crediderunt in Christum, qui scriptos illos ignorarent, imò ne quidem aliquando scribendos suspicarentur. Et illi ipsi, qui tum fidem prædicabant, an Apostolorum commentarios tamquam proponendorum Regulam, & Normam ad manum statim habebant, vel auditores suos, ad ipsos, olim scribendos, tamquam fidei Regulam & Normam ablegabant? Addit Gesauvita in margine: Qui Christianam fidem primo prædicarunt, non habuerunt Regulam fidei, Apostolorum scripta.

XV.

*Ex his candidè sic argumentor.
Quod à multis hominum millibus ignorari potest, salvâ fide in Christum, id nulla ex parte potest esse Norma credendorum. Atqui universi Novi testamenti libri scripti ignorari possunt à multis hominum millibus salva fide in Christum.*

Ergo

Ergò nulla ex parte possunt esse Norma credendorum.

XVI.

Maior probatur primò verbis Bellarmini lib. 1. de Verbo Dei. c. 2. Regula Catholica fidei certa notaq. esse debet: nam si nota non sit, regula nobis non erit: si certa non sit, ne regula quidem erit. Ergo Norma non debet ignorari.

Bellarminus.

XVII.

Deinde quo jure scripti Novi Testamenti libri, à multis millibus ignorari, nec pro Norma fidei haberi potuerunt: Eodem quoq. iure à nobis hodiè ignorari nec pro norma haberi possunt. Quia & illis & nobis dictum est, scrutamini Scripturas, illa sunt, quae testimonium perhibent de me Ioh. 5. v. 39. Item. Hae scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius Ioh. 20. v. 31.

XVIII.

Cogita verò bone Lector, quàm stupida, insulsa & caprimulgo digna sit ista collectio: Qui Christianam fidem primo praedicaverunt, non habuerunt statim Apostolorum Commentarios ad manum: Ergo Apostolorum scripta non fuerunt ipsis Regula fidei. Perinde ac si ita argumentarer: Qui congruè loquitur non habet statim Grammaticam scriptam ad manum. Ergò Grammatica scripta non est ipsi Regula congruè loquendi: Qui Iura docet non habet statim legem scriptam ad manus: Ergò Lex scripta non est illi Regula Iuris. Ita Mulhasine tu, cum Moguntia disputares contra *Ἐὐαγγελιστὴν* Mulmanni, non habuisti procul dubio Dialecticos libros ad manum: Ergo non disputasti secundum Dialecticos libros. Hoc ita esse testantur lepidae tuae conclusiones, cum quibus quod à tuis auditoribus in Dialecterio non explosus es, vehementer miror.

Ridiculi disputatores.

XIX.

Causa tua *ἁποστολική* est haec, quod Apostolorum scripta habere Regulam fidei nihil sit aliud, quàm ab illis in definiendis religionis

ligionis

ligionis Christiana dogmatis non recedere: quare non opus est, semper Commentarios secum circumgestare, sed sufficit eos scire.

XX.

Gesauvvi-
tæ negant
Christū ex
scriptura
disputasse.

Aliàs si quis siue satageret: fuitne Christo scriptura Norma Veritatis cum disputavit contra Satanam secundum tō sic scriptum est? Matth. 4. Respondendum esset ex Mulhusini ratione: Christus non habuit in deserto Biblia scripta ad manum: Ergo non fuerunt ipsi Norma: ha ha he non pudet Moguntinum consequentia.

XXI.

Certè pudet me hac pluribus urgere: ideòq; ad quartam probationem progredior, quæ sic habet: Addo Evangelistarum & Apostolorum editos iam codices, non aliter vera & non fictitia de Christo narrare, persuasum fuisse fidelibus, nisi quia iam antea, sine scripto, per solam traditionem, vivamque vocem, veram Christi fidem edocti fuerant quâ de ipso quoque scripto iudicabant. Tantum igitur abest, ut solum Verbum scriptum fidei nostræ norma sit & Regula, ut ab illa ipsa fides, per Traditionem ante scriptum verbum propagata, scribendorum quoque in Apostolis, & scriptorum in ceteris fidelibus infallibilis Norma Regulaque fuerit.

XXII.

Iterum negatis scripturam non tantum solam, sed etiam ex parte esse Normam, suppeditantes nobis tale argumentum:

Norma fidei est per se vera & infallibilis: aliàs prorsus non est Norma.

At Evangelistarum & Apostolorum scripta per se non sunt vera & infallibilia, sed quatenus sine scripto antea viva voce tantum tradita erant.

Ergo Evangelistarum & Apostolorum scripta (ex tuis fundamentis) prorsus non sunt Norma fidei. Vides me tibi nihil affingere.

Nolo

X XIII.

Noli hic homo acuti nasi ronchum ducere, quod tibi legem
 ἢ αὐτὸ in mentem revoco. Verbum Dei est norma fidei vera & in-
 fallibilis non propterea quia scribitur vel viva voce traditur (nam
 etiam Mulhasinus mendacia scribit & tradit) sed quia est θεόσωτος
 σοῦ, vel divinitus inspiratum.

Quare contra tuam Minorem ita argumentor:

Omne θεόσωτος σοῦ est per se vera & infallibilis Norma fidei:

Omnis scriptura est θεόσωτος σοῦ. 2. Tim. 16. v. 3. 1. Pet. 1. v. 21. Er-
 go est per se vera & infallibilis Norma fidei.

X XIV.

Notent studiosi prater alias infinitas Moguntinorum absur-
 ditates etiam hanc: Si Fides sola viva voce & traditione propa-
 gata, scribendorum in Apostolis Norma Regulaq; fuerit: destitun-
 tur Epistola Pauli omni veritate, ille enim suam doctrinam non ac-
 cepit per traditionem & vivam vocem, sed per inspirationem divi-
 nam & internam revelationem. Quis viva voce tradidit Iohanni
 suam ἀποκάλυψιν? Prophetis visiones & oracula? qui ergo de his
 conscripti libri vera narrare possunt. Quare debuisset Mulhansi-
 nus particulam (Solam) expungere.

En mon-
 strosam
 Gesauvi-
 tici argu-
 menti par-
 tum.

X XV.

His adiungo unam adhuc probationem ex sect. 2. th. 36. ubi
 Moguntini scribunt: Iam incipiebat D. Cyprianus Traditio-
 nem Ecclesiasticam contemnere, ut qua vel sola tamquam
 firmissimo ariete, Omnium errorum haeresumque turres
 & propugnacula concuti possent.

V.

X XVI.

Hic Moguntinus Asinus aures suas egregie prodit. Nam
 si omnes errores & haereses vel sola traditione Ecclesiastica refutari
 possunt, Scriptura erit inanis & supervacanea Norma. Quemadmo-
 dum si tu Iohannes Mulhasine, vel solo naso tuo & olfacere & vide-
 re potes: oculi tibi nihil profunt.

Tamen ha-
 bes aures
 Midae no-
 lens vi-
 dens.

B

Vide

Contradi-
ctio.

Vide autem animal auritum quomodo tibi conveniat cum descriptione Regulae ex Isidoro sancta sect. 2. th. 25. Regula esse dicitur, secundum quod aliquid fieri oportet ut recte fiat: atqui secundum Scripturam non oportet aliquid fieri ut recte fiat, nam sine illa, vel sola traditione haereses omnes recte refutari posse dicis: Ergo scriptura non est Regula vel Norma. Iudicent iam omnes, quibus saltem mica sani cerebri est an mentitus sit Mulmannus cum scripsit: Moguntinos negare scriptam Verbum esse Normam Fidei, sane omni ex parte negant.

QVAESTIO II.

An privatus cuiusque haeretici spiritus & Ecclesiae Catholicae publica & recepta interpretatio sint ἀντιφατικῶς opposita?

XXVIII.

Sic sentiunt Moguntini: Dicunt enim scripturam solam, privato haeretici cuiusque spiritu, sine Ecclesia Catholica seu universalis publica interpretatione intellectam, non esse Normam credendorum: quasi verò scriptura non per se, sed propter publicam Ecclesiae interpretationem, tantummodo Norma sit.

XXIX.

Quid Ge-
sauvitis sit
Ecclesia Ca-
tholica.

Nomine Ecclesiae Catholicae sive universalis non intelligunt eam, quae ἀληθῶς talis est & esse creditur, sed Romanam meretricem quae φαινομένης universalis est, nec enim talis esse creditur, sed duntaxat videtur & pro universali venditatur, propter externam nominis celebritatem, & conspicuam hominum multitudinem.

XXX.

Interpreta-
tio Ecclesiae
publica fal-
lere potest.

His ita constitutis, privatus cuiusque spiritus & publica interpretatio Ecclesiae non opponuntur ἀντιφατικῶς: fieri enim potest ut Ecclesia aliqua in publica & recepta interpretatione privati spiritus ductum & instinctum sequatur.

XXXI.

Sumptus in sacrificia arbitraria & electitia collatos esse preferendos honori parentum, erat interpretatio precepti divini in Ecclesia publica & recepta, & tamen à privato spiritu profecta. Matth. 15. v. 5.

Exempla.

XXXII.

Christum esse interficiendum secundum Legem Mosis erat interpretatio Ecclesiae publica, & tamen privati Spiritus. Joh. 19. v. 7. Vbi notandum est, quod Ecclesia Iudaica, propter amplissimam auctoritatem, & singularia divinitus accepta privilegia, majore juris suffragio, catholica dici poterat, quam ullo tempore Romana.

XXXIII.

Aaron & populus universus magnificum veri Dei titulum, quod sit Elohim qui eduxerunt eum de Aegypto, interpretatur de vitulo aureo: fuit hac interpretatio Ecclesiae tam publica, quam blasphema. Exod. 32. v. 4. & 8.

XXXIV.

Eadem Ecclesia veri Dei cultum ad Baalim traducit, conqueritur enim Deus se Baalim ab Israelitis vocatum esse. Hos. 2. v. 16. fuit & hac cultus divini publica & recepta interpretatio, quemadmodum & illa victimarum. Amos. 4 v. 4.

XXXV.

An verò Ecclesia tempore Eliae privato spiritu ducta est, cum Ecclesiae Baaliticae interpretationes essent multo magis publica & recepta, quam illius?

LXXXVI.

Devenio ad Consilia publica: concedit Bellarminus lib. 2. de Conciliorum auct. c. 10. Consilia provincialia absolutè errare posse: exempli loco prater alia adducit Carthaginense sub Cypriano ab 85. Episcopis celebratum, quorum sanè omnium publica interpretatio errore non caruit.

QVAESTIO. III.

Quisnam sit privatus iste Spiritus & qualis
ipfi opponatur interpretatio?

XXXVII.

Iustin.

Nunc ut D. Iustini consilium sequar: ἐχθρὸν μετὰ τὴν τῆς ἀληθ
θείας ἐπίστασιν, ὅπως καὶ φρονεῖν περὶ αὐτῆς προσήκει προίοντας εἰδέσθαι:
exponendum est, quid sit privatus cuiusq; haeretici sensus, & qualis
illi interpretatio opponatur.

XXXVIII.

Bernhard.

Quam ad rem maximè nobis conferre potest Regula Bernardi
de Vita solitaria ad fratres de monte Dei: Quo spiritu scripturae
factae sunt, eo Spiritu legi desiderant, ipso etiam intelligen-
dae sunt.

XXXIX.

At scripturae non sunt factae spiritu sanctorum privato vel
proprio, sed alio, quippe qui Dei & Christi Spiritus est, agitans san-
ctos, ad loquendam veritatem. Opponit enim Petrus ἰδίαν ἐπίλυσιν
& voluntatem hominis, Spiritus sancti agitationibus & revela-
tionibus 2. Epist. 1 v. 20.

XL.

Hic spiritus non est τὸ ἑαυτῷ sed ἄλλῳ, dum non loquitur ex
seipso, sed omnia sumit ex Filio Dei Ioh. 16. v. 13.

XLI.

Quare privatus haeretici cuiusque Spiritus est τὸ ἑαυτῷ, lo-
quens ex suo cerebro mendacia & errores proprio ausu, sine Dei san-
ctissimi inspiratione, verbo, vocatione. Ier. 14. v. 14. & 23. v. 21.
Item. 27. v. 15. Deut. 18. v. 20. Matth. 28. v. 19.

XLII.

Aliud est
publicum
aliud ve-
rum.

Nec quicquam refert, siue privatim id fiat siue publicè. Non
enim Mulhusinus verum dixit, quia publicè in suo speculo menti-
tus est, nec verus est ideo Christianus, quia publicus est Apostata.

Certe

Certe conqueritur Deus se prophanari à Pseudoprophetis c.
ràm populo, & in templo suo publicè. Ezech. 13. v. 19. Ier. 23. v. 11.

XLIV.

Propter has & alias causas, nos privatum haretici cuiusque
Spiritus opponimus interpretationibus Ecclesie, non quàm publica &
recepta sunt, sed quàm S. Scriptura, per quam Spiritus sanctus veri-
tatem manifestat, conformes sunt & convenientes.

XLV.

Ita enim D. Paulus Prophetiam jubet esse non secundum pub-
licam Ecclesie consuetudinem, sed κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως,
secundum analogiam fidei. Rom. 12. v. 6.

XLVI.

Hanc esse veram & infallibilem fidei interpretationem, quæ
fit per Scripturam, & ex eadem petitur, testantur unanimi consensu
Patres.

Infallibilis
ratio inter-
pretandi
scripturam

XLVII.

D. Hilarius lib. 1. de Trinit. f. 9. ita scribit: Lector optimus est,
qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam im-
ponat, & retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri di-
ctis contineri, quod ante lectionem presumpserit intelligendum.

Hilarius.

XLVIII.

Iustinus Martyr eundem in modum docet Libro quem inscribit
ἐκθεσιν τῆς πίστεως: Δὲ πρὸς τοὺς ἐκκλησίας τροφίμους, μὴ λογισμοῖς
ἀνθρώπινους διευδαίνει τὰ θεῖα, ἀλλὰ πρὸς τὸ βέλημα τῆς διδασκαλίας
αὐτοῦ πνεύματος, τῶν λόγων ποιῆσαι τὴν ἐκθεσιν. Hoc est: Oportet
apud Ecclesie alumnos res divinas non dirigere humanis rationi-
bus, sed sermonum expositionem instituire secundum voluntatem
doctrinae Spiritus.

Iustinus.

XLIX.

Tertullianus de Virg. velandis, eandem vera interpretationis
viam nobis ostendit, cum inquit: Dominus noster Christus se veri-

Tertull.
Contra ve-
terem Ec-
clesie con-
suetudinē.

tatem non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus & pri-
or omnibus, aequè veritas sempiterna & antiqua res. Viderint er-
gò quibus novum est, quod sibi vetus est. Hæreses non tam novitas
quam veritas revincit. Quodcumq; adversus veritatem sapit, hoc
erit hæresis etiam vetus consuetudo.

L.

Greg. Nys.

Gregorius Nyssenus libro de sancta Trinitate idem sentit: Non
arbitramur, inquit, æquum esse, ut consuetudo, quæ apud ipsos obti-
net pro lege ac norma rectæ rationis & orationis habeatur. Nam si
consuetudo res valida est, ad rectitudinem rationis atq; sermonis
probendam prorsus etiam nobis licebit contra prætereundam consuetu-
dinem, quæ apud nos invaluit. Sin autem hanc illi præscribunt &
rejiciunt, ne nos quidem illos sequi oportet. Igitur divino spiritu
prodita Scriptura arbitra controversiam inter nos dirimat,
& apud utrosque inventæ fuerint sententiæ consonæ verbis
divinis, ad hos prorsus suffragium veritatis accedat,

Scriptura
est Norma
sine consue-
tudinē.

L I.

August.

Augustinus de Doctr. Christ. lib. 3. c. 28. id ipsum jubet: verba
eius sunt hæc: Per Scripturas divinas multò tutius ambulatur:
quas verbis translatis occupatas cum scrutari volumus, aut hoc in-
de exeat, quod non habeat controversiam: aut si habet, ex eadem
Scriptura, ubicunq; inventis atq; adhibitis eius testibus terminetur.

L II.

Hieron.

Hieronimus lib 1. in Epist. ad Gal. c. 1, addit suffragium su-
um quod est tale: Discit is, qui ea, quæ in illo (Evangelio) per ani-
gmata & parabolas figurata sunt, explanata & diserta cognoscit,
non homine revelante, sed Christo. Verbum quoq; ipsum ἀποκαλύ-
ψεως, id est, revelationis propriè Scripturarum est.

Ex

LIII.

Ex Quibus manifestum est, privato cuiusq; heretici Spiritui non opponi publicam interpretationem, sed eam quæ nec ex Scriptura deducta est, nec eidem consentit.

LIV.

Sed privatum & publicum nonne sunt ἀντιφασικῶς opposita? Obiectio dolosa.
Hæc est illa herba, sub qua Gesauv vita subdolum anguem occultat, quem ut detegamus & in apertum solum proferamus summo studio nitendum est.

LV.

Vox Græca ἰδιον, non significat semper privatum sed plerumque in Scriptura notat proprium. Exempli causa Iohan. 5. v. 43. dicit Christus, se venisse in nomine Patris: alium autem venturum esse ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, in nomine suo vel proprio. Certè Antichristus venit in nomine publico, sed non in nomine alterius nempe Patris mittentis de Cælo. ἰδιον quid significet.

LVI.

Ioh c. 15. v. 19 ἰδιον mundi vocatur, non quod publica caret autoritate, sed quod alienum est à fide & electione salutifera. cap. 13. v. 1. dicuntur Christi discipuli eius ἰδιοὶ cum tamen publica eius Ecclesia essent. Eodem sensu nominantur eius oves proprie Ioh 10. v. 3 Luc. 6. v. 4. ἰδιος oculus opponitur oculo fratris. Act. 1. v. 7. Publica & universa potentia patris appellatur ἰδία ἐξουσία, propria, que nulli competit creatura. 1. Cor. 3. v. 8. Unusquisq; accipiet τὸν ἰδιον μισθὸν κατὰ τὸν ἰδιον κόπον & tamen ut labor quidam est publicus: ita omnis merces erit publica. Talia plurima addi possent.

LVII.

Eodem pacto ἰδιον de sermone dicitur Ioh. 8. v. 44. Diabolus cum loquitur mendacium ἐκ τῶν ἰδίων loquitur: hinc opponuntur τὰ ἰδία ἢ τὰ τῶν θεῶν.

Et

LVIII.

Et quero, *Γεσυννιτα* κατὰ τὸ ἦ αὐτὸ: cur Diabolus menti-
tur, num quia privatum agit doctorem? non, siquidem & ipse ha-
bet publicos suarum vanitatum Professores, *Γεσυννιτας*; sed quia
loquitur, ex propriis quae non sunt alterius, nempe ipsius Dei oracula.

LIX.

Ita ἰδία ἐπιλυσις apud Petrum est expositio propria, quam
etiam publica aliqua Ecclesia à se ipsa excogitatam sine Spiritu san-
cto in medium afferre potest, & pro veritate venundare: Nam
Petrus opponit ἰδίων & πνεύμα ἁγίου. Quare Spiritus haeretici potius
proprius quam privatus dici debet, ut opponatur τῷ ἁγίῳ, nimi-
rum Spiritui sancto.

Quod no-
bis est pro-
prium id
Γεσυννι-
tis est pri-
vatum.

QVAESTIO IV.

An sublata Ecclesiae Romanae interpretatione ne-
cesse sit sectas multiplicari ad numerum
quarumlibet interpretationum?

LX.

Affirmat id *Mulhasinus*, cum inquit: Alioquin tot se-
ctas habebimus: quot novos interpretes: qui omnes Evan-
gelicos se iactitant & suis erroribus Scripturam unicam
Normam praetendunt.

LXI.

Tria insunt his verbis vitia: primum est τὸ ἀνακόλυστον:
alterum τὸ ὁμῶνυμον; tertium est τὸ φεῦδος.

LXII.

Primum plane ἀνακόλυστον est: si Ecclesia Romana Catholica
non interpretatur Scripturam sua propria autoritate, necesse est,
tot sectas esse, quot interpretes. Primum enim sectae non refutantur
& tolluntur autoritate Ecclesiae sed veritate Scripturae, quae est
αὐτοπίστος, ut *Athanasius* docet lib. 2 Philosophiae de anima cap. 9.

I.
τὸ ἀνακό-
λυστον.

Nobis

Nobis divinorum eloquiorum sufficiet doctrina, fidem ex seipsa habens, cum sit divinitus inspirata.

LXIII.

Nam etiam Antichristi Ecclesia ingenti valebit auctoritate, cum propter loci sancti possessionem, tum propter concurrentium asecularum multitudinem, sicut predictum est Matth. 24. v. 15. & 24. Dan. 11. v. 41. & 45. 2. Thess. 2. v. 4.

LXIV.

Deinde interpretes scripturae sunt in gemino discrimine: alii sequuntur τὴν ἰδίαν ἐπίλυσιν: alii sequuntur τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως. Hinc una interpretatio est propria & arbitraria, altera est Scripturae & fidei Analogica: illa auget numerum sectarum: haec docentium consensum & unitatem verè catholicam parit & confirmat.

LXV.

Secundum vitium Gesauvita est τὸ ὁμώνυμον: Nam interpretes sacrae scripturae Normam tantum sequentes, ambigua voce NOVOS vocat: si intelligit novitatem personarum, habebunt ipsi quoque Papicola novum interpretem, Paulum V, prioribus annis plane ignotum: si verò intelligit novitatem doctrinae, certè interpretationes nostrae non sunt novae, sed secundum antiquam illam Propheticae & Apostolicam Scripturam instituta.

LXVI.

Contra quid Romanis traditionibus recentius est, quarum infernalis iste Pontifex quotidie novas accessiones facit? ex quibus haec praecipua est, & principe loco digna, quod ipse sibi potestatem sumit, unam eandemque Rempublicam, suas immunitates mordicus, tenentem, anathematizandi, anathematizatamque metu belli integra auctoritati restituendi. Nonnè hic Gesauvitarum Brutifex, vel insontes Venetos damnando: vel fontes & de iure suo in re controversa non recedentes absolvendo errat? Nonnè isthaec nova est Pontificii anathematis interpretatio, vel potius revocatio?

Interpretes
Ecclesiae
sunt dupli-
ces.

II.
τὸ ὁμώνυ-
μον.

Qui sint
novi inter-
pretes.

C

Tertium

LXVII.

Tertium vitium Moguntini est τὸ φεῦδος: cum dicit omnes novos interpretes (sic hereticos nominat) suis erroribus Scripturam unicam Normam pretendere.

LXVIII.

Nam Gregorius Nyssenus libro de S. Trinit. strenuè disputat contra Adversarios, ne consuetudinem pro lege ac norma rectæ rationis & orationis habeant, ergò etiam consuetudo tamquam norma erroribus pretenditur, & per consequens non scriptura unica.

LXIX.

Audi etiam Augustinum extract. 97. in Iohannem: Omnes insipientissimi heretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quæ maximè exhorret sensus humanus, hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò: quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque predicare, quanta libet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus.

LXX.

Subsume Professor Moguntine: Atqui Gesauvuite Pontificii audacias figmentorum suorum, hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait: Adhuc multa habeo &c. Ergò Gesauvuite sunt insipientissimi heretici.

LXXI.

Maior est Augustini, unde & hoc sequitur, hereticos suis erroribus etiam non scriptum-Verbum Normam pretendere.

LXXII.

Minor probatur ex Bellarmino, cuius de Verbo Dei non scripto lib. 4. c. 5 Verba hæc sunt: si Scriptura non continet omnia & necessarium est Verbum traditum, alioqui Deus non benè providisset Ecclesiæ. Secundo probatur testimoniis scripturarum. Primum est Iohan. 16. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. &c. Hactenus Bellus-arminus. Audi.

III.
τὸ φεῦ-
δος.

Etiam Ver-
bum non-
scriptum est
hæreseon
prætextus.
fol. mihi
113.

Augustin.

Bellarmino
induit
notam hæ-
reticorum.

LXXIII.

Audiat Moguntinus Pater pro immensa sua patientia etiam Cyprianum, qui ad Iubajanum de hereticis baptizandis ita scribit Novatianus: simiarum more, quae cum homines non sint, homines imitantur, vult Ecclesia Catholica auctoritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit. Item: Quale est autem quia hoc Novatianus facere audet, ut nos putemus non esse faciendum? Ergo quia & honorem cathedrae sacerdotalis Novatianus usurpat, numquid ideo nos cathedrae renunciare debemus? aut quia Novatianus altare collocare, & sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari & sacrificiis cessare nos oportet, ne paria & similia cum illo celebrare videamur? Vanum prorsus & stultum, ut quia Novatianus extra Ecclesiam vindicat sibi veritatis imaginem, relinquamus Ecclesiae veritatem. Hucusque Cyprianus.

Cyprian.

LXXIV.

Videntur hic Nasute, Haereticos & Ecclesiae Catholicae auctoritatem, & Sacerdotalis Cathedrae honorem iactitasse: Quare qui contra ipsos disputarunt, non potuerunt interpretationem Ecclesiae Catholicae publicam pro norma venditare, semper enim petiissent τὸ ἐν ἀρχῇ: sed necesse fuit Scripturam tanquam unicam Normam fuisse adhibitam, ex qua etiam sola vera Ecclesiae ratio constare posset.

LXXV.

Dicit Gesauv vita, hac ipsa est erroris causa in Cypriano, quod in controversia, (an ab haereticis baptizati sint rebaptizandi à Catholica Ecclesia) solius Scripturae veritate nititur: Respondeo B. Pater expresse dicit non esse rem novam aut repentinam, ut baptizandos censeat eos, qui ab haereticis ad Ecclesiam perveniunt, multos enim iam annos esse, & longam aetatem, ex quo sub Agrippino convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerunt: Non defuit igitur Cypriano longae aetatis consuetudo, non plurimorum Episcoporum consensus, non ipsorum Apostolorum traditum, ut ita loquar, exemplum: & tamen erravit.

LXXVI.

Scribit enim ulterius: neminem invenimus ab Apostolis, cum apud hereticos baptizatus esset, in eodem Baptismo admissum esse & communicasse, ut videantur Apostoli Baptisma hereticorum probasse. Vbi neminem invenit? non in Scriptura, ex hac enim probat D. Hieronymus contrarium Epist. 58. Sed in constitutionibus Apostolicis nescio cuius Clementis Romani lib. VI. cap. 15. ubi prohibet contentos esse illo baptismo, qui ab hereticis infamibus tribuitur, & addit, qui ab istis baptizati sunt, non baptismo initiati, sed inquinati sunt.

LXXVII.

Quare si Cyprianus vel maximam traditionum Ecclesiasticarum & Pseudoapostolicarum rationem habuisset, non tamen propterea ab omni errore immunis fuisset. Cur ergo erravit? non ob Scripturam, sed primo quia secundum Scripturam non distinxit personam & Ministerium baptizantis. Secundo, quia non consideravit id, quod Christus etiam partem Ecclesiae suae habet in medio inimicorum, psal. 109. v. 2. At Ecclesia dispensat & distribuit Sacramenta, quae non inquinantur ab impuro ministro. Lege Augustin. In Ioh. tract. 5.

LXXVIII.

Tandem Augustinus de Tempore serm. 165. Mulhusinum his verbis refutat: Dicunt hoc sapè heretici, quando veritate manifestissima convincuntur, nonne oves sumus? Ita extremum presidium in Ecclesiae titulo quaerunt: ideoque non solum scripturam normam suis erroribus praeferunt, ut homo de acuto naso, cum maxime affectat veritatem, impudenter mentitur.

Atque hac ad secundum mendacium Mulmannianum responsa sint, cetera suo tempore examinabimus.

Ελευθέριος γὰρ ἀνδρῶν τὰ ληθῆ λέγει.

F I N I S.

05 A 568

ULB Halle

3

004 209 923





Sb

V077







*Disputatio AntiGesawvvitica
secunda*

DE VERBO DEI SCRIPTO.

Pro refutatione mendosi speculi, miseriarum
Contra Mulmannum à Iohanne Mulhusino Apo-
stata, & Professore Moguntino, efficti:

IN QVA
*Questiones aliquot Theologicae perquam
utiles solide explicantur.*

PRAESIDE

M. IOHANNES MUL-
manno Lips: ad D. Nicol.
Archidiacono.

Respondente

M. GABRIELE LVTHERO
Grimmensi.

Iohan. 10. v 35. Non potest solvi Scriptura.

WITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus Clemen-
tis Bergeri Bibliopol. Anno 1607.